



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioan. Crombecii Societatis Iesv Presbyteri De Studio Perfectionis Libri Dvo

Crombecius, Johannes

Mogvntiæ, 1614

VIII. Profectus spiritualis suadetur exemplo Iosephi Patriarchæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51132)

virtutibus omnibus exuatur opus esse, (quod est primum officium iustitię Christianę) maxime iis que Dei amicitiam excludunt. Ne crescat vrtica, sed, vt ait Propheta, *pro vrtica myrtus*; fructus nimirum pretiosus, & boni odoris. Deinde sollicitę Dei gratiam querat, conseruet, & augeat. Denique frequenti operum multiplicatione virtutes acquirat & amplificet, quibus & se perficiat, & Christi corpori ædificioque Ecclesię splendori sit & honori. Quid? parumne tibi est, membrum esse corporis Christi, qui Deus est, qui regnat in cælis gloriosus? parumne, non hospitem esse, sed ciuem sanctorum, & domesticum Dei, supra fundamentum Apostolorum, imo super ipsum lapidem angularem collocari? crescere in habitaculum Dei in Spiritu sancto? Verum corpus Christi crescere debet. Si membrum vnum non crescat toto corpore crescente, amputari debet, aut deformitatem adferet corpore adeo perfecto. Crescere debet & Dei templum. Si ædificationi te subtrahis, caue; & tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.

1.

Isai. 55.

2.

3.

Apo. 3.

CAP. VIII

*Profectus spiritualis suadetur exemplo
Iosephi Patriarchæ.*

EXemplo nobis erit Ioseph Patriarcha; cuius nomen incrementum, accretionem, seu accessionem significat; cui parens moti-

moriturus in hæc verba benedixit: *Filius accrescens Ioseph: filius accrescens, & decorus aspectu.* Carus enim in adolescentia parenti, & ipsi præceteris in deliciis fuit: toga donatus est polymita, singularis benevolentia indice: quæ fratribus magnum invidiae odiique fomitem ministravit.

Gen. 39.

In Ægyptum venditus, vxoris Putipharis salacioris incontinentia in carcerem compactus est.

Gen. 41.

Profuit ipsi depressio hæc, & ad statum sublimiorem prouexit. Exposito namque Pharaonis somnio, pater patriæ, regni œconomus, & seruator mundi, præconio publico appellatus est.

Gen. 48.

Filius ergo accrescens Ioseph. Creuit quoque in filiis suis Ephraim & Manasse, qui inter filios Iacob, seu duodecim Patriarchas, annumerati sunt.

Tria accretionis capitula. sicut Simeon & Ruben. His ergo & *condicionis profectus spiritualis, & modus proficiendi, & consummatio seu apex ac gloria accretionis colliguntur atque exprimuntur.*

Caput. i.

Condicionis tres.

1. Condicio. Vita spiritualis, eaque constans.

9. Condiciones porro profectus tres sunt: quarum prima est, vt, qui crescere ac proficere vult, carus sit parenti, & si fieri potest, vulgaribus longe superior: id est, præter gratiam, quæ Deo hominem amabilem reddit, desiderium habeat incensum Deo placendi, ac proficiendi. Vt enim nemo crescere augeri que possit destitutus vita: sic qui in peccato est, spiritu vitæque cœlesti destitutus, vitales actiones exercere, ali, augeri, ac proficere nullo modo potest: sed nec is, qui ad eo languidus, vt labi se identidem in mortem animæ patiat. Is non fallatur: nemo proficere, nemo crescere potest, qui constans non steterit.

Iustus

Iustus enim vt palma florebit, sed plantatus in domo *psal. 91.*

Domini, in atrius domus Dei nostri. Hinc versio Hebraica ita sonat, *Filius Frugifer Ioseph filius frugifer iuxta fontem*: quasi velit parens eum crescere ac proficere ad similitudinem fontis, aut instar arboris iuxta fontem aquarum plantatae. Debet igitur esse arbor, & viua quidem: alioquin etiam iuxta decursum aquarum immensum putresceret. Plantata sit necesse est, ac fixa: alioquin alimentum non suget, sed arescet, fietque idonea flammæ materia. *Quid existis, ait Christus, in deserto videre arundinem vento agitatam? an vero robur alioquin defossam? et si enim non obsit ramis agitari, radix tamen concuti non debet, sed d. figi, vt ne moueri quidem possit. Constan- tiam hoc indicat in eo qui crescere vult. Verum quid si humorem non habeat, etiam plantata, fixa, alte lateque in terram protensa: vbertim non crescet, non profuse, non fructuose: quia sine gratiæ Dei præsentia, ac cœlesti rore, accedente tentatione, rami radixque morientur: sed si fons limpidus ac copiosus transcurrat, & subinde idem fontis riuus accrescat, infletur, augeturque, vt res radici accedent maiores, succus per corpus & brachia arboris diffundetur, vnde fructus vberimus oborietur. Ita D. Paulus, qui aruerat huius aquæ defectu. *Gratia Dei (ait) sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non* *1. Cor. 15.**

fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum.

10. Altera cōditio desumitur ex tota polymi-
ta, diuersiq; coloris. Qui enim crescere vult, ne-
cesse

G cesse

*omniū ra-
dices seu ha-
bitum.*

Psal. 44.

Gal. 3.

*3. Conditio
Proficienti
multa tole-
randa.*

Luc. 21.

cesse est habeat omnes virtutes Theologicae
Cardinales. Morales animæ inhærentes, de-
gnatas per illam coloris varietatem: quæ vari-
tas adeo connexa est gratiæ habituali, vt hæc
ne illa numquam infundatur, sicut indicat Ro-
gus Propheta. *Assitit (inquit) Regina à dextris in
in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Vestitus
iste est vestis nuptialis caritatis, qua induimur
baptismo. *Quicumque enim in Christo baptizati
stis, Christum induistis.* Cerre per Ioseph Christum
designatus est, qui, si quis alius, filius accrescentis
& frugifer fuit, habuitque togam hanc polytam
tam ab initio conceptionis suæ; quam & in bap-
tismo nobis communicat, cum, exuentes primum
hominem cum actibus suis, Christum induimus
cum omnium virtutum elegantissimâ
varietate. Dico hanc virtutum complexionem
præsupponi: nam omnis industria ac studium
perfectus desudat in augendis virtutum habitibus:
qui sane augeri non possunt, nisi existant, &
à studioso virtutis possideantur.

II. Verum hæc inuidiæ & odij sæculi huius
matoribus non exiguum fomitem subministrant.
Acris enim reprehensio vitiorum est vitata
immaculata: in ea, vt in fonte limpido, facies
maculas prauituentur: quarum etsi maculas
probenet & diligant, eas tamen ferre non possunt,
nec videre, & ab aliis videri nullo modo
volunt: ideo virtutis odere studiosos, ac persequuntur:
& cum possunt, eos in exilium mittunt. Hoc Christus
sapienter, vt omnia, expressit. *Trademini (ait) à parentibus,
& fratribus, & cognatis, & ami-*

Et amicis, & morte afficient ex vobis. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Cuius alibi reddit rationem: Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuisset mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Non reputet ergo, quicumque ad PERFECTIONEM aspirat, se præter virtutis suauitatem ac delicias aduersi nihil inuenturum. Aliter res se habet. Omnes qui pie volunt viuere in Christo IESU, persecutionem patientur. Non est seruus maior Domino suo. Si vero sponte non occurrant aduersa, omnino querendæ sunt occasiones subiiciendæ carnis, & Puripharis salacem vxorem mandandi fugandique, et si in carceres religiosos compingi, aut pœnas graues quisque sibi infligere debeat: non enim inuenitur sapientia in terra suauius viuentium.

Ioan. 15.

2. Tim. 3.
Ioan. 15.

Iob 28.

12. Modus vero proficiendi exprimitur pulcherrimis hisce metaphoris, fontis intumescens, arboris iuxta riuum plantatæ, eiusdemque frugiferæ: filius enim frugifer Ioseph, filius frugifer Vult enim Deus frugiferas arbores, non infructuosas: non homines quibus satis est corpus alere, & instar ligni ampliari ac dilatari: sed qui in sese crescant, & seipsis in dies maiores euadant, atque veluti alter Ioseph crescant in mille millia, Christo filios parientes, in se bonorum operum, & in aliis veros Dei cultores, qui Christum patrem cognoscant, colant, eumque obseruent. Reprobantur enim in frugiferâ D. Iudæ. His unt (ait) in epulis suis macula, conuiuantes sine

Caput 2.
Proficiendi
modus variis
metaphoris ac
similib. expressus.

1.

Epist. Iudæ.

timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quae
ventis circumferuntur, arbores autumnales, infru-
ctuosae, bis mortuae, eradicatae, fluctus feri maris, sidera
errantia.

Iob. 31.

2. Quod ad fontis incrementum attinet, et
in potestate nostra est fontis illius seu gratia-
nas augere. Certe Diuus Iob se hoc fecisse tellu-
tur. *Ab infantia (inquit) mea creuit mecum misera-
tio, & de utero matris meae egressa est mecum. Quo-
modo creuit? Hac ratione, multa nempe
opera misericordiae exercendo. Si negauit (in-
quit) quod volebant pauperibus, & oculos viduae
spectare feci: si comedi buccellam meam solus, & non
comedit pupillus ex ea.* Docet enim D. Thomas
quod, quotiescumque onus aliquod merito-
rium iustus operatur, augeatur gratia habitualis
& simul habitus illius virtutis, quam exerce-
mus: quod Sapiens discrete significat, dicens: *Lu-
storum semita, quasi lux splendens, procedit & crescit
vsque ad perfectum diem.* ducta metaphora à sole
oriens & procedens, qui quo magis ad me-
diem accedit, eo maiorem mundo adfert splen-
dorem: sic & iustorum virtus, procedens ope-
rum iustitiae multiplicatione, vsu, atque exerci-
tio, & gratiam reddit auctiorem, & habitum in-
tensiolem; vnde lumen quoddam animi & agen-
di facilitas amplior acquiritur.

Ibidem.

D. Thom.
2. 2. q. 114.
art. 8.

Prov. 4.

3. Alia crescendi ratio ab arboris, quam riuus alluuii
augmento, atque progressu, ascensuque, desumitur.
Cum enim plantula è germine prodit, exigua
est, atque humillima; accretione fit altior, & in ar-
boris celsitudinem assurgit: diciturque creuisse,
quan

3.

quando summitas seu vertex remotior fit à terra, caeloque propinquior. Sic & puer grandior factus dicitur, cum à terra recessit, & vertice caelis vicinior est. Ita etiam hominem profecisse tum demum arbitrare, si à terrenis affectibus cupiditatibusque abscesserit, eas oderit, graue illi fuerit gustare, tangere, delectari, ne dicam repenti ventre serpere, in iis volutari & acquiescere: animo vero fit caelo vicinior, & dicat cum Apostolo: *Nostra conuersatio in caelis est. Quae retro sunt obliuiscens, ad priora me ipsum extendo: quae sursum sunt quae, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quae sursum sunt sapio, non quae super terram.*

*Phil. 3.
Ibidem.
Colof. 3.*

13. Ioseph fuisse accrescentem, dum in oculis suis paruus nullam habebat superbiendi occasionem, non admodum magnum videri: sed omni tempore nominis sui significationi respondisse, summum reputari debet. Creuit dignitate, hominum opinione, honore, & gloria, prolisque propagatione: creuit & sapientia & virtute, qua & Aegyptum sapientissime rexit, & patri sanctissimo admirationi fuit. Testatur id benedictio quam ei & filiis impertiuuit. Ex quo discimus, eos demum ad dignitatum honorumque apices euehendos, qui impense PERFECTIIONIS studio & crescendi in virtute desiderio singulari tenentur. Cum enim alios regere atque incendere debeant: id numquam facient, si languidi frigidique sese ipsi nequeant accendere ac promouere. Quomodo enim à virtutis auocare subditos poterunt, quibus ipsi illigantur? quomodo ad virtutem incitare, quam nec

*Caput 3.
Gradus accretionis seu profectus eximius in iis qui praesunt de quo cap. seq.*

Proficientes demum idoneos esse ad gubernandum.

habent ipsi, ne habere conantur? quomodo ad ardua capessenda inflammare, si flamma careat? si igne? si calore? imo si intus gelidi sint? si nihil exterius, præter zeli simulacrum, affectatæque sanctitatis similitudinem appareat? Illis Iacob non benedixit, ut filio Ioseph, sed maledictionem impertivit, dicens: *Ruben primogenitus meus, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui.* Fce. Iacob rat Ruben cubile patris: ij fœdant Dei cubile, qui animum, ubi Deus requiescit, vitis inquinant: exterius ornamenta virtutis ostentant, interius excludunt. Ascendunt vitiorum cubilia, virtutum vero culmine ruunt præcipites.

C A P. IX.

*Idem profectus & accretio suadetur
testimoniis sanctorum Pa-
trum.*

*Eum qui
non proficit
desicere.
Past. parte
3. c. 35.*

14. **I**llud namque cum sanctis Patribus statuendum videtur, *Eum qui non proficit, desicere: & qui non graditur, retrocedere.* Quod sapienter suo calculo confirmat D. Gregorius. *Admoneandi sunt (ait) qui inchoata bona minime consummant, ut cauta circumspeditione consideret, quia, dum proposita non perficiunt, etiam que fuerant cœpta conuellant. Si enim quod videtur gerendum, sollicita intentione non crescit, etiam quod fuerat bene gestum decrescit. Addit appositam similitudinem. In hoc quippe mundo humana anima, quasi more navis contra ictum fluminis*